



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agr., 1684**

Decisio LXXXV. Privilegium dicitur ex causa onerosa, quando habet  
commensurationem ad causam, alioquin si ipsum privilegium excedat  
causam, habetur pro gratioso.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

DECISIO LXXXV.

Privilegium dicitur ex causa onerosa, quando habet commensurationem ad causam, alioquin si ipsum privilegium excedat causam, habetur pro gratuito.

Illustriss. Seraphino.

Valentina Jurispatronatus.

Veneris 12. Maii 1581.

Inter impressas Seraphini decis. 518.

SUMMARIUM.

- 1 Jus patronatus de jure communi non competit, nisi ex fundatione, vel dotatione, vel totali refectione.
- 2 Jus patronatus dicitur de privilegio ex causa onerosa, si habet commensurationem ad causam de futuro.
- 3 Alligans privilegium excedere causam, illud probare debet, & num. 4.
- 5 Commensuratio causa in privilegio concesso ex causa onerosa quando sit facienda.
- 6 Privilegio concesso ex causa onerosa Papa derogare solet, quando privilegium est pinguis sua causa.
- 7 Ex observantia 40. annorum omnia praesumuntur vera & adimpleta.
- 8 Pecunia praesumitur solventis.

Fuit resolutum jus patronatus, de quo agitur, esse quidem ex privilegio, cum de jure communi non competat nisi ex dotacione, fundacione, vel totali refectione, ut per Doct. in cap. 3. de jurepat. Roch. in verb. construxerit, num. 12. de jurepatron. & in terminis fortioribus quam sit casus noster, Anton. August. decis. 543. idem in Placentina lib. 2. esse tamen privilegium ex causa onerosa concessum, cum habeat commensurationem ad causam de futuro, si & postquam pecunias impenderit. Are. in C. novis, num. 29. de judic. Decimo conf. 292. num. 7. faciunt notata per Tiraquell. in A a i si un-



- 3 *l. si unquam, verb. donacione largitus, num. 335. cum seqq.* & quamvis Doctores velint, quod id intelligatur quando id quod datur, commensuratur privilegio, alioquin in excessu sit mera gratia ut per *Socin. conf. 4. & conf. 85. num. 12. lib. 3. Alex. conf. 7. col. lib. 7. Traquell. d. numer. 335.* tamen ille qui allegat gratiam præponderate, debet hoc
- 4 probare. *Roland. conf. 13. num. 64. lib. 3. idem Traq. ubi sup. num. 341.* Unde cum hic non constet de valore beneficii de illo tempore, standum est regula.
- 5 Præterea diversi considerari possunt effectus hujus commensurationis, nam si de ea agatur ad effectum videndi an Papa potuerit revocare, necessaria est ista commensuratio, ut dici possit valere concessionem in vim contractus irrevocabilis juxta tractata per *Doct. in locis supra citatis.* si verò agatur de præsumpta mente Papæ, vel consuetudine dispositionis ad effectum voluntatis, non autem potestatis, tunc habenda videtur ratio istius causæ, etiam quod non esset æquivalens vel commensurata ex parte ad gratiam; quod colligi potest ex præallegata decisione Antonii Augustini, ubi requiritur videndum an privilegium sit pinguius quàm cætera, quibus Papa solet derogare ut ex *consil. Cardinal. 147. quem sequitur Felix in d. cap. novu. num. 10. vers. similia prout.*
- 6 Cætera quæ deducuntur, magis tangunt verificationem privilegii, quam eorum, de quo agitur, & præsumuntur vera & adimplera omnia ex obsequantia 46. articuli.
- 7 Nec obstant quæ contra solutionem deducuntur, quia fuerunt sublata in alia decisione, & pecuniæ præsumuntur solventis, cum de mandato comitis soluta fuerit, & ex causa concessionis Leonis, ut in quietantiis dicit *Salic. in l. 2. num. 2. C. si cent. per. Bertrand. conf. 253. num. 2. in princ. Aymon. conf. 129. num. 3. in fine Dec. conf. 348. num. 4.*
- 8 Et ita conclusum &c.

Ad Quæst. 3. Additio.

**Q**uanquam Legatus privilegia à Papa concessa regulariter revocare non potest, subsistente tamen justa causa, quæ etiam ipsum Papam moveret ad revocandum, id ipsum facere poterit, cum tali casu valeat etiam contra justitiam per ea quæ notat. *Gamb. de offic. leg. lib. 2. tit. de var. ordin. num. 154. & lib. 5. iude potest. Leg. in unien. num. 153. & seqq.* ex quo in facto decidit Rota potuisse Cardinalem Legatum dismembrare quædam castra aliàs subiecta civitati Bononiensi, quæ à superioritate d. civitatis eximere, ex quo Bononienses ob rebellionem contra Sedem Apostolicam privilegiis suis privati meruissent. *ut in decis. 70. & 171. par. 1. recent.*

